

D E F U N C T I

† Exc.mus ac Rev.mus Dominus
Theodorus van Roosmalen, Episcopus (1875-1957) (1)

Hora prima post medianam noctem Dominicae Pentecostes, die 9 iunii 1957 placide in Domino obdormivit in Paramaribo Exc.mus Dominus Theodorus van Roosmalen, Vicarius Apostolicus emeritus Guyanae Hollandicae seu Suriname, Episcopus titularis Antigonensis (Antigona), plenus dierum ac de missione et de Vicariatu Apostolico Surinamensi eximum in modum meritus, qui in diebus suis corroboravit templum et pietatem. Defunctum praesulem vere fuisse dominum Dei, ut nomen « Theodori » significat, apud omnes in confesso est. Nomen est omen.



Theodorus Antonius Leonardus Maria van Roosmalen natus est 's Hertogenbosch die 27 iulii 1875. Studiis humanioribus absolutis ingressus est novitiatum, quo terminato vota perpetua emisit die 29 septembbris 1896. Sacerdotio auctus est in Wittem die 8 octobris 1901. Anno 1904 profectus est in Vice-Provinciam Brasilianam, ubi post paucos annos rector renuntiatus est Collegii in Juiz de Fóra.

Die 23 augusti 1911, P. Theod. van Roosmalen, rectoris munere fungens in Juiz de Fóra, nominatus est Episcopus titularis Antigonensis et Vicarius Apostolicus de Suriname; consecratus est die 15 nov. 1911. Illustr.mus ac Rev.mus Dominus Iacobus Meeuwissen, C.SS.R., Vicarius Apostolicus Guyanae Hollandicae a die 7 ian. 1907, ob vacillantem valetudinem missioni et Vicariatui valedicere coactus erat.

Vere grave onus et officium super humerum novi Vicarii Apostolici imponebatur. Habebat tantum decem annos sacerdotii, numerabatur inter iuniores

(1) Cfr. etiam St. Clemensbode (Amsterdam), ann. 12, n. 3, sept. 1957.

Episcopos illius temporis, ignorans regionem et omnis nationis incolas Vicariatus, pro quorum animabus rationem erat redditurus. Reluctabat quidem natura humana, sed in electione voluntatem Dei agnoscens, corde magno et animo volenti sese subiecit Dei voluntati, dicens: « Ecce ego, quia vocasti me ». Omnem fiduciam in Deo ponens, invenit auxilium, quod et manifestavit in lemmate suo: « Deus fortitudo mea ». Ab initio, suscepto munere, gregi suae anteibat, eo modo quo officium suum esse novit et manu forti frenos gubernii in manibus tenuit. Quicumque ante oculos ponit annos episcopatus ab anno 1912, quo ad Vicariatum Surinamensem novus Vicarius accessit, usque ad annum 1946, quo Summus Pontifex Pius XII eum a gubernatione Vicariatus liberavit, ut gubernacula viribus iunioribus traderet, exclamare debet: Tales vires in tantis annis!

« Novus Vicarius Apostolicus, ita diarium non-catholicum, erat vere Princeps, qui facile dignoscebatur tam modo quo arripere solebat baculum suum, quam gradu suo sive domum rediens post Missae celebrationem in sacello religiosarum sive ecclesiam cathedralem ingrediens cappa magna indutus; "theocrator" aeque magni aestimans leges urbanitatis ac conditionem suam atque iura. Mirari non debemus quod collisiones inevitables oriebantur cum "autoratore", gubernatore civili quondam-coloniae neerlandicae, eadem praedito tenacitate ».

Vicarius Apostolicus vir erat lineae rectae, directionis firmae ac manus fortis, gubernator, qui summa cum vigilantia gubernacula tenens, periculo numquam se subtraxit. Structura firma et ordinatio solida missionis ipsi cordi erat. Nullum sacrificium maius reputans, si de necessitate cuiuscumque rei agebatur. Aeque tenax in exsecutione eorum quae conceperat, aeque indulgens quoque in accipiendo consilia erat, quae convinciebant opinionem suam eiusque exsecutionem non ita rectas esse, quo casu mutationes aeque forti animo exsecutioni dabat. Quidam non-catholici metuebant dominationem quandam ecclesiasticam in territorio missionis, qui metus saepius ansam dedit repugnantiae a parte protestantium. Inde saepius resistentia et quidem vehemens, praesertim in quaestione de scholis, de formatione iuventutis, de exercitatione corporea (sport). Statistica argumentum praebent Vicarium Apostolicum aedificatorem maximum fuisse in Surinamensi missione, maiorem certe quam ipsum Gubernium civile. Anno 1936, quo 25 anni elapsi erant ab ingressu in missionem — quod iubilaeum magna cum festivitate et populi concursu celebratum est —, enumerabantur 104 scholae maiores et minores et 30 paroeciae seu stationes a Vicario Apostolico van Roosmalen erectae.

Multa merita sibi acquisivit de re sociali et caritativa. Amplificatio nosocomii S. Gerardi Maiella pro curatione leprosorum instituti, et aedificatio noso-

comii, quod contempto bello mundiali priore, illis temporibus ad summum per-
venit, ius ei tribuunt ad gratum animum et a parte infirmorum et a parte curan-
tium, cuiuscumque religionis aut nationis.

Ut instructio iuuentutis renovaretur atque adaptaretur hodiernae conditioni,
atque ut iura instructionis catholicae fortiter defendere posset, anno 1912 desi-
gnavit Patrem-missionarium inspectorem omnium scholarum catholicarum in mis-
sione sua; et nullum disciplinae genus assignari posset quod defunctus Vicarius
Apostolicus non promovit aut initiauit tam in ditione silvestri quam in variis
regionibus civilibus: erexit scholas elementares, scholas medias, scholas techni-
cas, scholas in quibus puellae edocentur circa res domesticas, scholas denique
in quibus instructio datur hortorum culturae et rei pecuariae.

Anno 1932 fundavit Congregationem « Filiarum Mariae Immaculatae », ut
per has religiosas indigenas maius in praedicatione Evangelii et in vita catholica
incolarum auxilium sibi acquireret. Ulterioribus vitae annis, in mente revolvens
labores atque difficultates, quas in fundatione expertus fuerat, dicere solebat:
« Haec Congregatio mihi usque in hunc diem miraculi speciem p[re]ae se fert ».
Non mirandum, quod in talibus ac tantis exantlatis laboribus numerus fidelium
semper crevit. Ingrediente Praesule suum Vicariatum numerabantur fideles
21.000; nunc autem fideles numerantur 40.000. Vere Deus incrementum dedit!

Non tamen in omnibus Vicarius Apostolicus bonum successum habuit. Multa
quidem bonum eventum habuerunt, multa e contra parum, multa etiam quae
per longum tempus fructum attulerunt, praesertim scholae minores et eccl[esi]e
siunculae in silvis, evanuerunt migratione nigritarum. Inficiari tamen nequit per-
multa adhuc superesse, quae illustrant et confirmant quae defunctus in initio
gubernii sui locutus est: « Impendam meipsum pro salute missionis Surina-
mensis ».

Etiam in sua vita privata Exc.mus Dominus erat vir lineae rectae, directio-
nis solidae et studii tuendi officium, in praxim dicens illud Terentii: « Quod
negat, negat, quod ait, ait ». Confratres ac subditi sciebant quo animo erat.
Numquam seipsum exemit de quibus se obligatum sciebat. Post multos annos a
munere Vicarii Apostolici absolutus et in communitate vivens, vitam duxit vere
contemplativam, solitariam et saecularibus ignotam, ad amussim sequens ordi-
nem diei, quem sibi statuerat; et omnia sua opera obsignavit et fecundavit oratione
animique recollectione. Emeritus factus admirabilem in modum se ab omni
vel levissima censura sive iudicio abstinuit de gubernandi modo sui successoris.
Sicut per multos annos fortiter gubernacula tenuerat, sic nunc ea dimisit.

Anno 1952 Summus Pontifex laboriosam eius vitam probavit et honoravit, nominando eum Episcopum Assistentem ad thronum papalem. Regina Neerlandiae, quae eum iam anno 1923 nominaverat « equitem Leonis neerlandici », addidit anno 1952 aliud insigne nominando eum « torquatum equitem Ordinis Arausiaco-Nassovici » (Commandeur in de Orde van Oranje-Nassau).

Mors inopinata non venit. Uno mense circiter ante eius decessum e vita, ob gravem supervenientem cordis debilitatem, sponte quaesivit ut Sacramentis infirmorum muniretur. Abhorruit ab injectionibus medicinalibus, dicere solitus: « Hoc modo caelum numquam intrabo », metuens quoque ne sensus deficerent; renuit enim et mitigationem et abbreviationem infirmitatis suae. Per diem saepius orans, manus suas extendit ad imaginem Crucifixi et animo quieto et indefesso tulit crucem suae infirmitatis, auxilio fretus B. Mariae V. de Perpetuo Succursu. Aliquando ante mortem dixit: « In occursu meo cum Deo dicam: Ecce adsum; sumas me, Domine, ut sum ». Quod speraverat, quod precibus frequenter efflagitaverat, obtinuit: usque ad ultimum suspirium animo erat praesenti. Ita invenit eum Dominus ut fidelem servum.

Feria II Pentecostes, die 10 iunii 1957, celebratae sunt exsequiae pontificales a Vicario Apostolico Exc.mo Domino Stephano Kuypers, eius successore, cum ingenti populi concursu. Corpus e cathedrali deportatum secuti sunt multi in auctoritate positi, ut: Gubernatoris civilis vices-gerens, Minister catholicus cui cura aerarii Regionis commissa est, membra catholica comitiorum, praesides seu pastores sectarum acatholicorum et membra organisationum catholicarum.

R. I. P.

A. DANKELMAN, C.SS.R.